

sed potest dari visio sine rectitudine voluntatis tam actuali, quam habituali, ut si Deus non infundat habitum charitatis, et gratiæ, neque ad ejus actum concurrat, tunc enim neque actualiter, neque habitualiter convertitur voluntas a sua pravitate; ergo tunc manebit visio cum peccato. Nec sufficit dicere, quod radicaliter manet justus posita visione, etsi non formaliter. Nam esse justum radicaliter tantum, est simpliciter non esse justum, sed in privatione manere, sicut homo per animam est radicaliter videns, et tamen si non habet actu potentiam proximam videndi, manet cæcus, et privatus visu; ergo etiamsi visio sit radicaliter justificans, si tamen formaliter, et proxime non est conversa voluntas, manet in peccato, et macula, et in privatione gratiæ. Confirmatur secundo, quia ideo visio excludit peccatum, quia non permittit iudicium defectuosum, et erroneum, quale requiritur ad peccandum, et sic ex conjunctione inseparabili ad regulam operandi, non potest deficere: hoc autem solum probat non posse influere de novo in actionem malam, non autem quod tollat maculam, et privationem gratiæ contractam ex peccato præcedenti, quia illa macula dicitur habitudinem ad actum voluntatis, ex quo derivata est; ergo nisi voluntas mutetur, et retractet actum illum vel actu, vel habitu, semper perseverat ordo ad voluntatem, et actum præteritum: per solam autem visionem, sine mutatione voluntatis, non fit talis retractatio, nec realis mutatio in voluntate, sed solum in intellectu.

LXVIII. Respondetur per visionem utroque modo tolli maculam peccati, et physice, et moraliter. Ad impugnationem physice ablationis respondetur, quod visio ponit formam, qua privat peccatum eminenter, et consummative, et radicaliter,

non proxime tantum, et limitate, seu formaliter; sicut etiam unio hypostatica ponit formam, qua privat peccatum eminenter, et superiori modo, quatenus ipsam animam, et voluntatem ejus reddit unitam, et subsistentem in Persona divina, quæ unio est eminentior quam gratia habitualis, quæ solum est accidentalis participatio divinæ naturæ: similiter visio creata eminenter, et superiori modo est gratia opposita peccato, quatenus reddit voluntatem, et animam subordinatam, et unitam divinæ visioni, et fini ultimo, et regulæ ipsi indefectibili (ut jam supra ponderatum est) et hæc subordinatio, et conjunctio voluntatis ad Deum visum clare in se, tamquam regulæ inseparabili, et indefectibili, reddit voluntatem impotentem ad peccatum, et in actu primo, seu dispositione proxima conversam ad Deum, et similiter ipsam animam, quatenus sustentat, et radicatur in se voluntatem, relinquit in eadem dispositione immutatam, et conversam, quasi in actu primo, et subordinatione ad Deum clare visum, ut ad regulam operandi indefectibilem sibi unitam. Unde licet non ponatur gratia habitualis in anima, qua privat peccatum ex positione solius visionis, ponitur tamen eminenter, et virtualiter gratia, quatenus ponitur unio, et subordinatio animæ ad consummationem gratiæ, et ad ipsum ultimum finem, cujus adeptio est in intellectu.

LXIX. Et cum dicitur, quod macula est in essentia animæ, et per visionem nihil ponitur in essentia animæ, sed in intellectu, distinguo; per visionem nihil ponitur in essentia animæ formaliter, et immediate, seu proxime, transeat; mediate, et præsuppositive, nego. Et quid est illud? Cum non sit habitus gratiæ nec actus novus, respondetur ipsam visionem inhærere intel-

lectui, et medio intellectu, substantiæ animæ; ex ipsa vero oriri totalem subordinationem, et conjunctionem voluntatis, et animæ ad Deum clare visum mediante intellectu; sic enim manet unita regulæ indefectibili, taliter quod etiamsi habitus gratiæ, vel actus dilectionis non sequatur, est tamen ex sola conjunctione ad visionem reddita anima et voluntas impeccabilis, ita ut non possit prorumpere peccatum, stante illa visione. Hæc autem sufficiens mutatio est intrinseca, et realis in anima, et in voluntate, non quia illi voluntati immediate inhæreat formaliter, sed mediate, eo quod inhæret ipsi radici voluntatis, cui per se subordinatur voluntas, scilicet intellectui.

LXX. Et talis immutatio in re non est aliud, quam ipsa inhærentia visionis, quæ immediate fit ad potentiam intellectivam, mediate ad substantiam ipsam animæ, quatenus ab ea sustentatur, et subordinatur sibi voluntatem, quatenus ab ea dirigitur; hæc enim unio quatenus est ad regulam indefectibilem, et ad gratiam consummatam, reddit animam, et voluntatem propter subordinationem ad intellectum sic dispositam, ut prorumpere non possit in actum pravum, et exigit ex se prorumpere in dilectionem, nisi suspendatur ei concursus; et ista dispositio, seuabilitas, aut exigentia ex tali conjunctione ad Deum, sufficit expellere ab anima, et a voluntate maculam, et habituale peccatum: sicut posita unione hypostatica etiamsi suspendatur in voluntate omnis actus, et nullus habitus in ipsa, nec in anima infundatur, ex sola unione ad Personam Verbi redditur anima impotens ad peccandum, et immutata, atque conversa ad Deum, ita ut tollatur omnis macula, et habituale peccatum, si forte præcessisset in illa natura.

LXXI. Et si quæretur, quid est illa immutatio, quæ fit in anima, atque in voluntate, et illa conversio; cum neque actus, neque habitus de novo infundatur, dicitur quod in re non est aliud quam ipsa unio naturæ ad personam immediate, mediate autem ipsius voluntatis, ex qua unione redditur impotens aliquid operari illa natura, et ejus potentiæ, nisi operante, et influente supposito, ut principio quod; non potest autem Deus esse principium quod influens in peccatum. Et ex hoc quia sic redditur disposita, et subordinata illa natura divinæ Personæ, etiam ante omnem actum voluntatis, manet in actu primo conversa ad Deum, et ei unita, et ipsam conversionem exigens ex vi principii personalis, et sic manet sancta, et grata Deo, excluditurque; macula peccati a natura, et mediate a voluntate. Eadem proportionem dicimus in præsentem manere animam, et voluntatem ex conjunctione, et subordinatione intima ad intellectum, et ad visionem Dei, etiam antequam actum dilectionis eliciat, vel habitus gratiæ infundatur, conversam a Deo intrinsece, et formaliter, non immediate, sed mediate: quia radix ejus scilicet intellectus, ut habens gratiam consummatam, formaliter unitur Deo immediate, et in ipso, ut in radice propter subordinationem ad visionem voluntas manet formaliter, id est, in se rectificata, formaliter, inquam, mediate, non formaliter immediate, nisi in se habitum charitatis suscipiat.

LXXII. Ad id quod opponitur contra remissionem offensæ, respondetur eodem modo philosophandum esse de remissione culpæ in infusione gratiæ, et in communicatione visionis beatificæ, aut gratiæ unionis: sicut enim quando Deus infundit gratiam, libere remittit offensam, non quia post infusam gratiam necesse sit superaddi voluntatem gra-

tuitam remittentem offensam, sed quia ipsa infusio gratiæ, est effectus procedens a voluntate libera, et gratuita remittente offensam: ita communicatio visionis, hoc ipso quod est communicatio gratiæ consummata procedit a voluntate Dei remittente offensam, et convertente animam ad se, ita ut reddat impeccabilem. Nec enim (ut supra diximus) stat converti hominem ad Deum, sive formaliter et proxime, sive eminenter et consummative, et Deum non converti ad hominem. Quod si Deus erga hominem convertitur, utique illi placatur, eique remittit offensam ex vi talis conversionis, si eam habet. Quare hoc ipso quod Deus tribuit visionem intellectui, tenetur remittere homini offensam, et acceptare ad amicitiam, sicut cum infundit gratiam, aut dat unionem hypostaticam; non quia necesse sit novam, et superadditam voluntatem gratuitam habere, sed quia illa communicatio visionis ex libera, et gratuita voluntate procedit, etiam quantum est ex se. Nec obstat, quod si semel procedit visio ex voluntate remittente offensam, si postea Deus infundat gratiam, et charitatem, jam illa non sanctificabit, neque offensam tollet: quia per priorem voluntatem communicativam visionis remissa est offensa, ita quod non indiget nova voluntate remittente: ergo superveniens voluntas collativa gratiæ non remittit. Respondetur enim, quod gratia de novo infusa per accidens est, quod non remittat, quia invenit remissam culpam, et maculam deletam; sed tamen sanctificat in suo genere, et in suo ordine, scilicet tamquam forma proxima, et immediata sanctificationis, visio autem tamquam gratia consummata, et eminentior; sicut etiam posita unione hypostatica, sine gratia habituali, sanctificatur natura assumpta, et si in peccatis sit,

dimittuntur ei, et tamen si postea superveniat, et infundatur gratia habitualis, illa non remittet peccata de facto, nec tollet maculam, quia invenit ablatam, sanctificat tamen in suo genere, scilicet per modum sanctificationis accidentalis.

LXXIII. Quod autem dicitur in argumento, visionem solum esse communicationem ex parte veritatis, et intellectus, sicut alia dona, intellectui collata, ut prophetis scientia infusa, respondetur quod visio est communicatio actus intellectus distinguo; actus intellectus consummantis ipsam gratiam, et unionem ad Deum, et assecutionem ultimi finis, concedo; actus intellectus disponentis ad ipsam gratiam, vel concomitantis illam, sicut fides, prophetia, etc. nego. Est autem magna differentia inter unum, et alterum donum; quod ea, quæ pertinent ad intellectum, ut disponentia ad gratiam, vel concomitantia illam, non est necesse quod supponant voluntatem Dei gratificantem, aut remittentem peccata, aut spiritum habitantem: quia possunt a gratia separari, et non consummant illam, sed ad eam disponunt, aut concomitantur se habent. At vero visio beata cum sit consummativa gratiæ, et summe unitiva ad Deum, utpote ipsius finis ultimi assecutio, procedit a voluntate Dei ita grata, et placata, sicut procedit ipsa gratia, et multo magis, quia eminenter continet illam et connaturaliter illam petit propter connexionem cum ipsa gratia. Unde si de potentia absoluta separentur ab habitu gratiæ, nihilominus ab eadem voluntate gratificante debet procedere: quia est ipsius gratiæ consummatio, et eminenter habet totum, quod gratia.

LXXIV. Ad primam confirmationem respondetur visionem posse dare sine rectitudine habituali vel

actuali voluntatis formaliter, et proxime proveniente ab habitu, vel actu charitatis; non tamen sine rectitudine eminenti proveniente a conjunctione, et subordinatione voluntatis ad ipsum Deum clare visum, ut explicatum est. Et ad instantiam de eo quod radicaliter est tale, et formaliter habet privationem oppositam, sicut homo est radicaliter videns, et formaliter potest esse cæcus, respondetur quod illa doctrina est vera in privationibus particularibus, et quæ opponuntur non ipsimet radici, aut impossibilitatem afferunt cum illa, sed alicui proprietati, aut particulari perfectioni, sicut cæcitas opponitur solum potentiæ visivæ, non ipsi animæ, quæ est radix potentiæ visivæ. At vero peccatum non solum opponitur rectitudini voluntatis formali, quatenus relucet in habitu, vel actu ejus, sed etiam radicali, et eminenti; opponitur enim omni rectitudini sive promanet a gratia consummata, quæ est visio, sive ab unione hypostatica, sive a gratia habituali. Unde non compatitur cum ipsa visione.

LXXV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod ex eo, quod illa visio excludit omne iudicium, et dictamen defectuosum, etiam excludit dictamen defectuosum præteritum, et quidquid ex illo virtualiter relictum est, tam in intellectu ipso dirigente, quam in voluntate gubernata, et directa: nihil enim horum compatitur cum dictamine illo indefectibili, et visione summi boni, ut summum bonum est in se. Unde negamus, hac ratione solum probari, quod illa visio, et illud iudicium solum possit influere de novo in actiones, quæ fiunt: non autem possit destruere maculam ex præterita culpa contractam. Sed dicimus quod illud dictamen, et iudicium visionis bea-

tificæ destruit etiam dictamen præteritum defectuosum, ex quo originata fuit illa culpa, et illa macula sive illud dictamen actu permaneat, sive in virtute. Eo autem destructo manet voluntas subordinata, et conjuncta dictamini recto indefectibili, et consequenter in actu primo conversa ad bonum, et sic non manet habitudo ad præcedentem actum peccaminosum: quia virtualiter retractatum et ex vi talis visionis, et oppositi dictaminis, ac subordinatione totali voluntatis ad illud, cui contradicere, et a quo se subtrahere non potest. Et hæc totalis subordinatio est virtualis retractatio præteritæ voluntatis pravæ.

LXXVI. Ultimo arguitur: peccatum et visio beata non opponuntur privative, et contradictorie sicut visio et non visio, evidentia et obscuritas; sed positive, sicut contraria, sunt enim inclinationes diversæ voluntas, seu affectus peccati, et visio inclinans ad amorem Dei, imo adhuc multo minus: quia non immediate, et formaliter, sed visio mediate, et quasi efficienter, et radicaliter opponitur: quia ex ipsa visione dimanat conversio ad Deum in voluntate, sicut a dirigente, et proponente objectum, quod ad modum efficientis, vel extrinseci operantis se habet. Non ergo talis oppositio inter visionem, et peccatum, præsertim habituale, quod non possit vinci per potentiam absolutam; eo quod non est oppositio contradictoria, aut privativa, præsertim, quia oppositio inter visionem, et peccatum non est ita formalis, sicut inter gratiam, et peccatum, quia gratia formaliter, et immediatius facit hominem gratum quam visio.

LXXVII. Confirmatur, quia si ab intrinseco ex vi visionis ante infusionem charitatis, beatus esset determinatus ad non peccandum, etiam esset determinatus ad con-

vertendum se in Deum; ergo non indigeret habitu charitatis superaddito ad amandum, et convertendum se; superfluit enim habitus, ubi præsupponitur determinata potentia. Quod si non est determinatus, nisi ex suppositione, quod habetur ipse habitus charitatis, aut visionis gloriæ; ergo non absolute, et simpliciter, neque ab intrinseco est determinatus ad bonum beatus, sed ex suppositione, et in sensu composito: sicut ex suppositione, quod quis habet auxilium efficax, non potest peccare, simpliciter autem, et in sensu diviso potest: poterit ergo similiter peccare beatus absolute, et simpliciter loquendo. Confirmatur secundo, quia potest Deus imponere beato præceptum circa ea, quæ libere operatur, et denegare auxilium efficax ad illud implendum, quia hoc datur libere; ergo poterit peccare non adimplendo.

LXXVIII. Respondetur quod visio pugnat cum peccato privative, sicut gratia, non formaliter et proxime, sed radicaliter et eminenter, quatenus est gratia consummata, et unio ad Deum, atque illius assectio, cui subordinata, et conjuncta voluntas, eodem modo, imo plus, et eminentius repugnat privationi peccati, quæ est aversio a Deo, quam ipsamet gratia. Et quidquid sit, an peccatum etiam contrarie, et positive opponatur gratiæ, et rectitudini virtutis; tamen constat essentialiter, et intrinsece secum involvere privationem illius, sicut recessus, et accessus, seu motus contrarii, qui licet positive opponantur, propter privationem tamen intrinsece annexam, non possunt simul esse in eodem subjecto: similiter ergo neque gratia, et peccatum. Quod si gratia non potest, ergo neque gratia consummata, quæ est visio, non quatenus præcise est in intellectu formaliter: sed quatenus etiam in-

format animam, subordinatque sibi voluntatem et impeccabilem relinquit, sicut declaratum est, et in ipsa unione hypostatica exemplificatum.

LXXIX. Et cum dicitur, quod formaliter opponitur gratia peccato, quam visio, respondetur quod formaliter opponitur gratia formalitate immediata, et proxima, sed visio formalitate eminentiori et consummata, et non minus sed magis efficaci: quia firmat, et necessitat ad bonum, prohibetque omne oppositum dictamen. Et licet id faciat visio, ut ex parte intellectus se tenet, quasi directive, et efficienter; tamen quia hoc facit tamquam principium directivum intrinsecum, et permanentem, atque habitualiter unitum, et permanentem, atque perpetuo reddens voluntatem sibi subordinatam, et conjunctam, ideo reddit impossibilem conjunctionem et simultatem cum peccato, quia peccatum habet intrinsecam privationem, et aversionem annexam cum tali subordinatione, et conversione, ut satis explicatum est.

LXXX. Ad primam confirmationem respondetur, quod per visionem determinatur voluntas ad non peccandum, quasi ad effectum negativum: et ad diligendum, et convertendum se ad Deum determinatur, non intrinsece, et specificative, et proxime, sed radicaliter, et directive, præter hoc autem indiget principio proximo elevante, et informante voluntatem ad eliciendam speciem talis actus: sicut licet unio hypostatica sit principium determinatum ad bene operandum, et non peccandum, tamen adhuc indiget habitibus supernaturalibus superadditis ad eliciendum actus supernaturales, ut scilicet habeat principia ejusdem specificationis, et ordinis cum actibus eliciendis: sic licet visio subordinet, et determinet vo-

luntatem ad non peccandum, tamen ut eliciantur actus voluntatis connaturali modo per principia ejusdem specificationis, et ordinis, oportet infundi habitum charitatis, qui talem actum modo connaturali, et proportionato eliciendum determinet. Nec tamen dicimus, quod beatus solum est determinatus ad bonum in sensu composito, et ex suppositione, quod habeat habitum retinendi indifferentiam ad oppositum, sicut dici solet, quod supposito auxilio efficaci, vel habitu gratiæ, adhuc potest oppositum antecedenter, et in sensu diviso, non in sensu composito; sed per visionem tollitur indifferentia contrarietatis ad peccandum, imo et contradictionis ad non amandum, nisi Deus suspendat concursum, et ideo non solum in sensu composito, et secundum quid, sed simpliciter, et in omni sensu non potest peccare stante visione.

LXXXI. Ad secundam confirmationem respondetur juxta superius dicta, quod potest a Deo poni præceptum circa ea, quæ a beato libere agenda sunt, sicut de facto retineant præcepta, et legem naturalem, et Christo impositum fuit præceptum, licet incapax esset peccati. Nec tamen potest ei denegari efficax auxilium ad præceptum implendum, ex suppositione quod tali subjecto impeccabili præceptum ponitur, et loquendo in sensu composito, licet absolute, et in sensu diviso libere detur: quia potest auferri, vel non poni præceptum, et denegari auxilium. Nec potest beatus divertere ab eo, quod tenetur agere, sive ea quæ a se agenda sunt videat in essentia divina, sive non; quia (ut supra diximus) sufficit quod ipsi fini ita adhæreat, quod nihil agere possit, quod ab ipso fine avertat, vel ipsi non subordinetur; quo opposito non potest erroneum, et defectuosum

judicium formare circa agibilia, sive in Verbo videantur sive non.

ARTICULUS VI.

Unum perpetuitas sit per se annexa beatitudini; et unde oriatur?

I. Beatitudinem consistentem in divinæ essentiæ visione esse perpetuam de facto, absoluta fides est, cum sit vita æterna, et sic promittitur nobis passim in Scriptura, poniturque ut articulus credendus in symbolo, et definitur in Conciliis. In Scriptura traditur, ut Sapient. v: *Justi autem in perpetuum vivent:* Joan. x: *Ego vitam æternam do eis:* Joan. xvii: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum:* Roman. vi: *Gratia Dei vita æterna:* et Apocalyps. xxii: *Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum:* Psalm. lxxxiii: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* In symbolo continetur iste articulus, cum dicimus: « Credo carnis resurrectionem, vitam æternam, etc. » In Conciliis extat confessio patrum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, in capite Firmiter, de summa Trinitate: « Quod unusquisque accipiet prout gessit in corpore, mali pœnam æternam, boni gloriam sempiternam. » Et idem citari solet ex sexta Synodo, in actione xi, in epistola Sophronii recepta in actione xiii. Cæterum singula Concilia, præsertim generalia, et plura provincialia, præsertim Toletana, citari possunt, in quibus generalis fidei formula traditur, et confessio patrum in symbolo, ubi profitentur æternitatem beatitudinis, quæ est ipsa perpetuitas, et inamissibilitas visionis, et fruitionis Dei.